



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Pauli Segneri Societatis Jesu Brevis Vitæ Historia
cum ejusdem Concordia Quietis & Laboris in Oratione,
Expositione in Psalmum Miserere, Considerationibus de
Inferno, Expositione Cantici ...**

Massei, Giuseppe

AUGUSTÆ Vindel. & DILINGÆ, 1707

VD18 12383155

§. LI. Vocatur à Deo ad sublime Orationis genus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-47773](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-47773)

Vocatur à DEO ad sublime Orationis genus.

Fuit porro ipsius orandi ratio principio non alia, quàm illa, quam vocamus, Meditatio ordinaria, quæ & Intellectus ratiocinio, & voluntatis affectibus vehementibus occupatur circa varia Religionis nostræ Myſteria, & varia divinarum Literarum effata; unde magnam partem hauſit egregia illa lumina, quæ ſubinde expreſſit in quatuor illis non magnis libris, quos Manaa Animæ indigitavit. Poſt aliquot annorum intercapedinem videtur mutâſſe aliquantum, quam diximus, Methodum, totumque ſe vertiſſe ad rogandum DEUM, variâſque ab eo gratias ac dona poſcenda, ita ſcilicet, quomodo Magiſter divinus in Dominiſca Oratione nos docuit; id quod ipſe Pater alteri cuiſpiam è Noſtris aperuit, cùm diceret, ſe tandem aperuiſſe oculos ad pernoscendam veram orandi rationem. Idipſum docent nos etiam cujuſdam epiſtolæ ejus verba, quæ audire non parvo nobis ſolatio eſſe poterit. Præſens, ſcribit, mea ſpes tota nititur certa illâ & infallibili impetrandi efficaciâ ac vi, quam habet Oratio, quando à DEO petit id, quod certò nobis expedit. Qualia, quæſo, verba illa ſunt, quæ Chriſtus locutus eſt: *Petite, & accipietis?* an clariùs, certius, generaliùs, & minore cum exceptione obligare ſe ille nobis potuiſſet? totum in eo ſitum eſt, ut conſtanter petamus. Sed quis tandem hic labor eſt, quem tanti boni amore ſuſcipi non oporteat? Nobis aliud incumbit nihil, quàm ut petamus à DEO per merita Filij ſui, ut nos efficiat veros ſuos Servos, veros ſuos amicos: & ſubinde omnia ejus permittamus arbitrio; nec enim illi deerit ratio è tam multis aliqua, quâ

quâ id certò efficiatur. Ad me quod spectat, constitui mecum, opitulante ejus gratia tam assidue clamare, & tamdiu pulsare, donec illi fiam importunus. Neque me ulla ratione absterret, quòd me videam tam miserabilem, tam vilem, tam omni merito destitutum; ego siquidem aliud non specto, quàm ut stipem flagitem à DEO, qui in egenos est beneficentissimus. Et quis nescit, in mendicabulo nullius generis meritum requiri ad obtinendum, sicut tamen requiritur in eo, qui mercedem exigit, sicut requiritur in Servis, & aliis, qui quocunque titulo aliquid exposcunt. Ipsa, quâ premitur, sua miseria & calamitas magnum in mendico meritum est, & quanto ejus miseria major est, tanto etiam æquius est ut ipsi subveniatur. Ut ut est: Christus quod promisit, revocare non potest. Promisit ille, quisquis ejus in nomine constanter esset periturus, exaudiendum. Si in hoc nobis constamus, peracta res est. *Benedictus DEUS, qui non amovit orationem suam, & misericordiam suam à me;* aiebat David, in quem locum S. Augustinus: *Cum videris à te non amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est à te amota misericordia ejus.* Nihil igitur est, quo nos purgemus: Petamus, instemus importunè, molestiam, si ita tas est loqui, facessamus DEO: sed non est periculum, ne molesti simus; neque enim unquam magis illi cari acceptique erimus: molestus illi non est, qui petit; sed qui petere non vult, ut Achaz, qui dicebat; *non petam.*

